

Dissertatio theologica de consilio pacis ad Zachar. VI: 13

Autor(en): **Wirtzius, Joannus Conradus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 7

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394605>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



ענת שלום

DISSERTATIO THEOLOGICA

de

CONSILIO PACIS

ad ZACHAR. VI: 13.

Auctore

(*) JOANNE CONRADO WIRTZIO.

Regnum
Christi in
primis pa-
ce com-
mendabile.

Felicem esse gentem illam, quæ regi
paret clementi, pacisque artium
studioso, nemo, cui cor sapit,
ibit infitias. Nam ut rex, qui re-
gium imperium in superbiam do-
minationemque vertit, ac bellum ex bello ferit,
sui

(*) Vir venerabilis, nunc Ecclesiarum Turicensium
Antistes, hanc Dissertationem conscripsit, atque sub Præ-
sidio Clar. Viri *Herm. Alex. Röel*, an. 1712, quum in
Batavis ageret, Trajecti ad Rhenum publicæ luci expo-
sitam olim defendit: Eam vero inprimis dignam judi-
cavimus, quæ huic Museo illata ad posteros transmitta-
tur.

sui quidem lubidinem animi implet, sed tantum in rem publicam damni fert, ut in subjectorum vita nihil insit, nisi miserrimi temporis propagatio: sic contra, ubi benignitate & clementia imperium temperatur, ac quieta antehabentur turbidis, ibi læta & candida omnia, pace cuncta refovente, & principis mansuetudine rem popularium magnis auctibus augente. Quæ vero fama hujuscemodi clementiam sequatur, quantumque laudis ac gloriæ apiscantur qui summæ rerum tam placide præsent; suo exemplo firmare potest *Salomon*, sapientiæ præstantissimus, qui studiis hisce usque adeo valuit, ut ejus vel admirationi deditæ fuerint nationes regionum confinio adjunctæ, vel caritate flagraverint *ἢ ἀρχόμενοι*, dulcissimo perfruentes otio, *I. Reg. IV: 20. sqq.* Quum vero regie voluntates plerumque, *uti vehementes, sic mobiles sint, sæpe ipsæ sibi adversæ*, atque ad dominandi cupidinem flexiles; censente *Sallustio B. Jug. 113.* non mirum haberi debet, regnorum gubernacula nusquam ferme ita tractari, nisi forte apud *Sevarambas*. Ipse sane *Davidides*, justitia, æquitate, ac firma pace clarissimus, tantum abest ut invidiam suorum devitaverit, ut post finem ejus acerbitatem imperii apud filium gravissime incusarent, & majorem imperitantium lenitatem concione habita requirerent, *I. Reg. XII: 4.* Quare laudes nostras longe anteit *Rex ille regum, Apoc. XIX: 16.* salutis nostræ arbiter, *Christus*, cui in cælum evecto, nihil magis propositum, quam quemadmodum regale solium *justitia & judicio, benignitate & fide suffulciat* tamquam tibicinibus, *Pf. LXXXIX: 15.* Neque facile dictu, quanta sit felicitas delectæ pubis, quæ in ejus castra nomen dedit;

dedit; omnibus ab eo ita provisus, ne qua labes prospero rerum cursui imponi possit. Quippe *justitia & pax*, sororio nexu copulatae, se *mutuo disfaviantur*, Ps. LXXXV: 11.

Secundum II. In ea tempora aetas nostra incivaticinium dit, ut quum maxime miseriarum si-Zachariae. nem sperare nos oporteret, numquam minus possimus. Tot enim tantisque rebus plerique omnes Europæ incolæ urgentur, ut solida adlevatio videatur inventu perquam difficilis. Percussa & prostrata bello pæne inexplicabili jacent omnia. In unius duorumve hominum jactationem multorum millium sanguis impenditur: provinciæ, regna, maria, terræque aspera, aut fessa bellis, aliisque calamitatibus fiunt. Neque frigidi tantum septentriones inflammati; sed Scythæ etiam, quique ultra Tanaim colunt, sedibus suis exciti, Christicolis imminet. Et si quos mutabiles rerum vices armis abstinuere, quin pacem sterilem aut infidam agitent, ambigi nequit. Quando autem pacis conditiones cum maxime tractantur, nonnullaque ejus irritamenta ostentantur, multorum malorum exitum appropinquare crederes: sed in eum locum deducta res est, ut pax isthæc haud minus quam bellum timeatur ab iis, quibus placuit aurea illa Taciti gnome: *in pace suspecta tutius bellum*, Hist. IV: 49. In tanta rerum confusione fieri profecto non potest, ut Christi regnum omnis periculi sit exfors. Nam & qui mente Deum colunt, & quos pertinax fortuna exercet, omnes in eadem sunt navi. Accedit eo, ut qui veram atque ab omni superstitione repurgatam religionem ore pro-

stentur, a pristina illa puritate sui que integritate non parum deflexerint. Quippe pars multo maxima voluptatum inlecebris de bonæ mentis sede dejecta, omnia carius quam Christi doctrinam æstimant; alii vero, ingenio sive petulanti, sive intemperanti nimium tribuentes, egregiam Christi tunicam abscindunt, sui que cerebri lacinias nefario ausu adsuunt. Quo fit, ut pii homines in nonnullam dubitationem adducantur, exsequuturusne sit Deus consilia sua sanctorum Vatum reclusa oraculis, de Ecclesia nostra, tranquillatis rebus ejus, amplissimis ornanda honoribus, atque inter jubila Angelorum ad summa vehenda. Ut ergo omnes scrupuli ex hominum animis penitus evelerentur, atque in tantis tenebris, & quasi parietinis rei nostræ sacræ, esset nobis, in quo adquiesceremus; haud ab re fore duxi, brevi disertatione probare, Jesum, cujus in nobis eximia majestas esse debet, regnum suum secundum æternum pacis consilium ita administrare, ut ex turbulentissimis rebus idemtidem se emergat, ac ad summum evehatur fastigium; huicque fini paucula commentari in illustre vaticinium, quod edidit *Zacharias Cap. VI: 13.* ultima commatis parte hæc verba ore fundens: **ועצת שלום רהיה בין שניהם.** *Et consilium pacis erit inter ambos istos.*

Cujus scopus & nexus ostenditur.

III. Ut luculenti hujus oraculi sensus recte intelligatur, non incommodum videtur, occasionem & ejus nexum cum præcedentibus expromere. Quum Judæi, ex Babylone reduces, templum & avitas sedes reædificarent, magnosque perciperent luctus ex eo quod permultum de pristino

pristino splendore deminutum, seque sine rege animadvertent; optimo Deo visum est, ad sanandos mœstorum animos, canere *regnum & pontificatum* Messiae. Igitur divinitus jubetur *Zacharias*, *binas* (ut mihi quidem satis spectatum est: licet alii unam tantum fuisse putent, plurativo numero propter excellentiam posito, uti etiam in vocibus *אלהים, חכמות*) *conficere coronas*, alteram ex *auro*, ex *argento* alteram, *easque imponere capiti Jehoschuæ Pontificis*, qui in præsens Messiae personam sustineret. Id quod subinde explicat, additis verbis quæ *Jehova Deus exercituum* præscripserat: *Ecce vir, צמח שמו* cui nomen *Tzemach*, *de sub se germinabit &c.* Is ergo, de quo edita oraculo fors, *צמח* nuncupatur. Quæ vox *germen* denotat vel terræ, *Gen. XIX: 25.* vel arboris, *Ezech. XVII: 9, 10.* quod a principio suo non separatur, sed conjunctum cum eo est. Uti vero in S. Codice alia *plantarum* nomina Messiae applicantur, ut quum *חטר* *virgula*, *נצר* *surculus*; *Esaï. XI: 1.* *ינק* *ramus*; *ibid. LIII: 2.* *פִּלְזָא* *radix*; *Apoc. XXII: 16.* appellatur: sic eundem per *צמח* significari, non probamus, sed tamquam indubitatum ponimus: cum quod ex Christianis plerique, ex Judæorum magistris autem complures, id nobis adsentiuntur: tum quod idem nomen alibi passim Messiae vindicatur, *Jer. XXIII: 5.* *XXXIII: 15.* *Zach. III: 8.* in primis ubi *צמח יהוה* dicitur, *Esaï. IV: 2.* Hic *germinabit* *כתחתני* *ex sub se*, id est, ex se ipso, sine ulla ope humana, haud secus atque planta sponte terra nata. Quæ descriptio apprime convenit in naturam Christi humanam, quam ipse divina sua potentia in virginis utero formaret, ut esset *fructus terræ*,

Esaj. IV: 2. & radix, quæ gignitur humo arida atque arenosa, ib. LIII: 2. Neque alia sequentium sententia est: & edificabit templum Jehovah. Hoc enim templum est templum corporis sui, Joa. II: 21. quod quidem Pater pararet, Hebr. X: 5. coll. Ps. XL: 7. sed ita, ut etiam confieret per Filium, qui eadem, quæ Pater, efficit, Joa. V: 19. quemadmodum id manifesto indigetari videtur Luc. I: 35. Rectissime autem templum Jehovah vocatur, quia in humana Christi natura, cum divina arctissime conjuncta, omnis Deitatis plenitudo habitat συμπαντικῶς vere & re ipsa, Col. II: 9. Sed quid sibi vult, quod eadem dictio ab vate repetitur? meo iudicio infra maiestatem oraculi positum, si quis hæc ideo dumtaxat repetita dictitaret, quo firmitus mentibus infingerentur. Quare posteriore dictione per Jehovah palatium intelligi potest sive Ecclesia Novi Fæderis, imponenda solo spectatæ firmitatis, immo petrae immotæ, ipsi Christo, Matth. XVI: 18. & saxis Apostolorum ac Prophetarum solidanda, Eph. II: 20. Apoc. XXI: 14. quæ ultimo capitis nostri commate exsertim nomine templi Jehovah venit, gentium adcursum amplificandi; sive, quod mihi, ordinem nexumque verborum attendenti, fit vero similis, idem corpus Christi, quod ipse post ejus occasum quasi ex ruinis rursus excitaret, in hunc modum: immo ille ipse templum corporis, hostium sævitia dirutum, iterabit. Quocum valde quam consentit oratio Jesu, Joa. II: 19. Post hæc יהוה נשׂוֹי gestabit decus; omnem paratum regium, qui gloriam conciliare, ac spectantium animos pellicere potest: in primis regio & pontificali insigni caput evinctus, cujus binæ illæ coronæ, Jehoschuzæ capiti impositæ, imagines gesserant.

rant. Hanc majestatem suam *feret*, id est, postea quam regni solemnia capeffivit, mortalium oculis eam permittet contrectandam; vel *accipiet*, scilicet a Patre, laboris pretium, *Pf. VIII: 6.* Porro in hoc ornatu habebit *solium*, nempe *Patris*, *Apoc. III: 21.* quod per passiones sibi ierat vindicatum, *Pf. XLV: 7.* ut in *cælo & terra*, per eum in unam veluti summam redactis, dignitate foret regia, *Esaj. LXVI: 1.* Vocatus itaque in regni societatem, in Patris solio *sedebit*, de more regum, qui *in regali solio resident*, *Curt. IV: 1.* pari modo Christus, maximis periculis perfunctus, *ad dextram Patris collocandus* erat, *Pf. CX: 1.* non ut otium sequeretur, sed ut *dominaretur*, in regenda Ecclesia virtute divina agendo, eamque ab omni injuria defensando. Qua de causa excellenter *מושל dominus*, *Jer. XXX: 21.* & *מושל בארם dominus inter homines* II. *Sam. XXIII: 3.* cluet. Denique, quod admirationem habet, non rex modo, sed etiam *כהן Sacerdos* futurus erat: qui, sacrificio corporis rite perpetrato, cum regia auctoritate ad intimam Dei amicitiam admitteretur, ut alterum sacerdotis munus quoque usurparet, deprecando pro peculio suo; non stans, in modum supplicum, sed *sedens in solio*, ut valens precibus, neque ad repetenda sacra rediturus; & pontificali corona ornatus, quam adumbraverat *cæruleum diadema Aharonis*, *aurea præfulgens lamina*, de quo legere est *Exod. XXVIII: 36-38.* & apud *Josephum*, qui insigne illud sacrum *coronam Sacerdotii* alicubi appellat. Ex quibus omnibus clarum est, oraculum haud perplexabiliter canere amplissimos honores, quibus Messias ab Patre post mirabilem partum, peracto laborum

curfu, foret excipiendus, visuique mortalibus præbendus, tamquam *Rex ac Pontifex*, cetera imperia præeminens, omnesque principes alios decore, potentia & majestate infinito supergrediens. Hæc justa mentis æstimatione pensitata, molliendis Israëlitarum animis sufficere poterant. Verum ne ab iis, qui de Christi regno inquirebant, quidquam jure desideraretur, *vates* omnem regiminis rationem normamque certissimam exponit, quum infit: *Et consilium pacis erit inter ambos istos.* Quæ verba nunc paullo uberius evolvere atque illuminare animus est.

Verba ipsa
explican-
tur. Con-
siliium.

IV. Primum omnium mentio sit *πρυ* *Consilii*. Quod vocabulum, si usum ejus in Sacris spectes, vel adhibetur de integro cœtu hominum, qui consiliandi causa super re majoris momenti convenerunt, & ubi sententias suas dixere, in explicitiorem eunt, ut valeat, atque in tempore perficiatur, 1. *Reg.* XII: 8. vel usurpatur de proposito unius, ad quod non sine certa re, omnibus probe expensis, descendit, loco peragendum, *Prov.* XX: 5. *Consilium* itaque *Dei*, de quo hic loci agi, præter ipsum sermonis contextum sequentia plane probabunt, nihil aliud est, quam ejusdem voluntas de rebus extra se in omni suo ordine ac decore præstituto tempore efficiendis. Quippe *Deus singula efficit κατὰ τὴν βελὴν τῆς θελήματος αὐτῆς secundum consilium voluntatis suæ, Eph.* I: 11. Ceterum inter *Dei* hominumque consilia permultum interest. *Homines*, prius quam incipiant, deliberant, & in deliberando animum huc atque illuc diu dividunt, ut ex multis, quod
optimum

optimum sibi que accommodatissimum duxere ,
trahant. Id quod *sapientiae* ac *virium* in iis defec-
tum arguit. Nam si in capiendis consiliis necessa-
ria nobis adesset *sapientia*, non tam diversi agita-
remur, neque ab hac cogitatione averfi, ad ali-
as atque alias nos conferremus. Et quamvis viri
consilio pleni celeriter quæ opus sunt reperiunt,
non tamen eadem æque facile repræsentant, quia
viribus deficiuntur. Qui *Deum* in hisce hominum
similem esse putant, næ illi magnum, immo in-
gentem errant errorem. Deo enim tam altus in-
tellectus, ut non egeat, sed abundet consilio,
Esaj. XL: 13. tamquam *μόνος σοφός solus sapientia*
validus I. Tim. I: 17. ac proinde non in diversa
versatur variis cogitationibus, se invicem conse-
quentibus, sed unico & individuo actu cuncta
decernit & vult. Nec quidquam ei infectum:
quæ consuluit & intendit, ad exitum deducere
& effecta dare potest. *Facit enim omnia quæ vult,*
Pf. CXV: 3. & *voluntati ejus nemo resistet, Rom.*
IX: 19. hinc cum *consilio Dei* conjungitur ejus-
dem *χρησὶς manus, Act. IV: 28.* Sed alia se offert
ratio, cur decernens Dei voluntas *consilii* nomine
veniat. Nam quemadmodum *consilio*, non im-
petu agere: nihil nisi considerate ac *consulto* face-
re: animo omnia ante circumspicere, quam ad
effectum consiliorum pervenire; id semper sapi-
entis est habitum: Ita Dei *consilia* sunt meditata,
id est, circumspicte, sapienter ac decore, non
vi naturæ, sed liberrima voluntatis determinatio-
ne ab summo omnium provifore inita, quæ ex
omni parte divinam, id est, infinitam sapienti-
am produnt. Quo S. Codex nos ducit, quum
memorat *עצה היעוצה consilium* ab Jehova *consul-*

tatum super terrarum orbe, Esaj. XIV: 26. & βελὴν ὀρισμένον consilium definitum, Act. II: 23. Adde sis, consilium Deo etiam tribui propterea quod plures sunt qui capiunt, nempe SS. Τριάδος personæ. Qua de re exemplo adsumo id quod factum erat, quum inibi esset ut conderetur homo, Gen. I: 26. & quod jam jamque dicitur de duobus, quibus consilium initum non de qualibet re, sed de optima rerum, pace.

β. Pacis. V. Pacis enim *consilium* dicitur; quod eo spectat, ut *pax* ex una reconcilietur, vel facta conservetur. Inter quos autem *pax* fit, inter eos graves intercessisse inimicitias, necesse est. Unde manifesto sequitur, ut vates non loquatur de *pace*, quæ post exercitas simultates inter Deitatis personas firmata sit; quandoquidem illæ, uti natura, sic etiam voluntate *en unum*, I. Joa. V: 7. nunquam secum invicem in similitate esse possunt: sed de *pace* constituenda inter Deum & homines. Qui illius voluntatem ab se alienarunt, quum ruptis divinæ legis vinculis, bellum ei facerent, tamquam *hostes* sempiterni, Rom. V: 10. a quibus pro intaminata sanctitate sua adeo abhorret, ut *oculi sui eos ferre non possint*, Hab. I: 13. Nihilominus, quo misericordia æque ac justitia sua notior testatiorque esset *consilia pacis* sumpsit, perficiendæ non cum universo humano genere: statim enim ut Adam a fœdere divino descivit, prædictum erat, fore ut multi palam hostem induerent, & sub Serpentis auspiciis ductuque castra adversa ponerent, Gen. III: 15. sed cum bene magna manu, ex toto exercitu liberrime delecta. Cum his in gratiam redire statuit per

per *Filium* suum, internuntium firmatoremque *pacis*, II. *Cor.* V: 18, 19. quem qui ut *arcem Jehovæ* vera mentis persuasione *prehendit*, sine ulla dubitatione *pacem cum Jehova inquit*, *Esaï.* XXVII: 5. Sancti vero vates, totiens tam magnifice de *pace* ora solventes, ut plurimum illam intelligunt *pacem*, quæ *Novo Fæderi propria* est: componendam *stante templo altero* ab eo, qui templi istius dignitatem præsentia sua immensum esset aucturus, *Hagg.* II: 9. quæque ob insignem excellentiam *eximie pax* vocitatur, *Rom.* XIV.: 17. *pax multa sive magna*, *Pf.* LXXII: 7. *Esaï.* LIV: 13. *pax Dei*, *captum omnem transcendens*, *Phil.* IV: 7. *pax Jesu*, *Joa.* XIV: 27. secundum quam benignissimum Numen, pretioso Filii sanguine propitiatum, simul *peccata electis ita ignoscit*, ut omnem eorum *memoriam deponat* obliteretque, *Esaï.* XLIII: 25. *Jer.* XXXI: 34. quo fit, ut mens non amplius inquiet agat, sed timore vacua, usura solidi gaudii fruatur, *Rom.* V: 1. I. *Joa.* III: 21. simul gentes, a purioribus sacris adhuc remotas, ita mansuefacit, ut, positis odiis, in Christi castra cedant, dextrisque dextras simpliciter & candide jungant, *Esaï.* II: 4. propterea quod *lege libertatis* edoctæ, Troas Tyriosque nullo discrimine agi, sed *dominum omnibus eundem*, qui amoris sui *divitias offerat cunctis invocantibus se*, *Rom.* X: 12. *Eph.* II: 13. *sqq.* Ex quibus consequum; adversus hostium cum externorum, tum internorum machinamenta Deo ita esse provisum, ut *pax* parta piisque divinitus concessa nunquam usque adeo turbetur, quin ex ipsis turbis majus semper commodum veritatis propugnatoribus veniat; & ut nunc illi, ultro arma inferendo, composita movere,

vere, nunc isti subdola amicitia sanctorum cœtus miscere adlaborent, in cassum agere: quin obstinato animo semet ire perditum, dum sanctis, qui labores spe otii sustentare consueverunt, gloriam decusque conciliant. Denique ad *pacem* omnia pertinere, bellumque sæpe contra perduelles, turbidos, discordiosos tractari, ut immota reddatur pax. Quid est, si hoc non est *pacis consilia* inire? quæ alibi videas appellata *fœdus pacis*, *Esaj.* LIV: 10.

γ. Inter
duos
istos. VI. Hoc *pacis consilium* sumptum *inter ambo istos*. Quinam sint *isti ambo*, quæ-
runt interpretes, ut de re septuosa plane
& perplexabili: super qua qui diversas
noscere sententias cupit, ipsos commentatores,
qui nunc ad manum non sunt, adeat. Nos ve-
hementer miramur, cur quærant, tantamque si-
bi crucem figant: ea maxime de causa, quod
plana omnia & prona videntur. Certum namque
habeo, voculam ׀ in fine adjunctam non per-
mittere, ut longius eamus, sed intra vaticinium
subsistentes, non alios cogitemus intelligi, quam
de quibus modo mentio facta fuerat. Atqui to-
tum oraculum sub nomine משיח loquitur *Messi-*
am, Dei Filium; & ab eo distinguit *Jehovam*, cu-
jus ille *templum* esset *ædificaturus*. Unde cuique fa-
cile est judicare, *duo istos esse cum Jehovam, Pa-*
trem videlicet; tum *Messiam*. Jehova enim non
se inferiores, sed præcellentia & sapientia pares *in*
consilium adhibet, *Esaj.* XL: 13. ac proin, uti *Fi-*
lium, sibi per omnia parissimum, *cœlestis regni*
participem sumpsit, *Pf.* II: 6. sic eundem omnium
consiliorum arbitrum esse voluit, tamquam vi-
rum

rum sibi proximum, & quasi intimum consiliarium, qui semper foret a latere, Zach. XIII: 7. quique propterea ꝑꝑꝑ consiliarius audit, Esaj. IX: 6. & sapientia Dei, Matth. XI: 19. Luc. XI: 49. Hi bini condiciones pacis tractant; alter, ut Deus pacis, Hebr. XIII: 20. alter, ut Princeps pacis, Esaj. IX: 6. alter, ut offerens regiam, id est, Deo dignam auctoritatem, placidamque regni per omnes rerum vices administrationem promittens, si electi homines, pretio dato, in libertatem adfererentur, & jura regnandi, sublata inimicitiae causa, decore acquirerentur, Esaj. LIII: 10. alter vero, ut latam conditionem prompte accipiens, Ps. XL: 9. quo ex pacto & convento terrarum orbis imperium caperet, cunctisque gentibus gloriose moderaretur, Ps. II: 8. proposito sibi cum dignitate otio præstabili.

ſ. Erit.
Ubi dif-
ficultas
propo-
nitur.

VII. Verum, licet visum sit quomodo se istud *pacis consilium* habeat, scire tamen adhuc libet, ecquando sumptum, sumendumve esset. Nam ad oraculi sensum investigandum, id re vera caput esse videtur. Sanctus itaque vates, nos hac de re edoctrus: *consilium*, inquit, *pacis* יהיה *erit inter duo istos.* Hic incidimus in nodum difficilem: quem secare in proclivi magis est, quam solvere. Contextum enim positumque verborum recte attendenti, videri omnino posset, salubre illud *consilium* ab Patre & Filio tum demum capiundum, quum Filius maximis laboribus pro humani generis salute perfunctus, ceu Rex ac Pontifex rerum esset adeptus. At apud omnes, qui patienti rationis revelationisque via

ad

ad verum pergunt, in confesso est, *consilia Dei* non pridiana esse, aut noviter cogitata; sed *æterna*, quippe inita prius quam quidquam extra Deum existeret. Ita ut qui originem eorum ad definitum quoddam tempus redigere adgrediatur, laborem suum profundat ac perdat. Qui ergo fit, ut vates, postea quam omnes Messiaë honores, quibus a Patre erat ornandus, percensisset, tum demum dicat *consilium pacis inter ambos fore?*

Absurdus
ejus tol-
lendæ mo-
dus refu-
tatur.

VIII. Nullo se negotio expediunt, qui negata consiliorum divinorum æternitate, temporaria ac horaria Deo consilia tribuere non verecundantur; quæ ex tempore & rerum copia trahat, & pro brevibus rerum humanarum vicibus variet. Quam facile enim dictu, de pace constituenda non prius a Deo deliberatum, quam Christo in scepra reposito? Verum enimvero parum honora ac magnifica insubidi isti homines de Deo sentiunt. Tamquam, omnium ignarus, operum suorum esset spectator, ut ex diurna nocturnaue eorum contemplatione majorem sapientiæ, ac scientiæ modum sibi compararet, seque ad mutabilem hominum voluntatem conformaret, paratus se ipse retexere, ac in omnes versare partes. Contra insulsa isthæc commenta, quæ rationem evertunt, Scriptura S. præscriptum: quippe quæ explicate tradit, *supremi Numinis cogitata ab mortalium cogitatis toto differre cælo, Esaj. LV: 8. omnia opera Deo a sæculo ita esse cognita ac judicata, ut ab eorum exsequutione abduci nequeat, Act. XV: 18. & in Christo, ante jacta mundi fundamenta præcognito,*

cognito, I. Petr. I: 20. *electos*, qui ad eum pertinent, Eph. I: 4. immo cunctam iis *gratiam* simul in Christo ante tempora secularia datam esse, II. Tim. I: 9.

Alia tollendi rationes modeste refutantur. IX. Alii aliam, eamque tutiorem insistent viam; dicendo, copulam γ per *nam* exponi, & futurum תהיה stylo Hebræis familiari in præterito tempore verti posse, hoc modo: *nam* consilium pacis *fuit* inter duos istos. Ita ut æternum *pacis consilium* considerandum foret ceu fundamentum & ratio, qua Pater permotus, quæsitissimis Filium honoribus adficeret: ideo Filium regię ac pontificalis dignitatis insignia consequuturum, quod illi cum Patre in æterna pactione id fuerit conventum. Expositio certe divinis consiliis ac revelationibus oppido consentanea: dum ne dictionis natura obstet. Quamvis enim data copulæ significatio forte posset admitti: temporum tamen inversio, ut rem loquar meram, mihi non probatur, neque accipiendam esse existimavero, nisi ubi manifesta adsunt indicia, aut sine hoc adjumento commoda interpretatio inveniri nequit. In vaticinio autem nostro inversionem hanc omni nota esse destitutam, tam clarum est, quam cœlum esse, quum sudum est, solet. Igitur alii, animadvertentes non præteritum, sed futurum quid dictione vatis designari, non tam de *æterno pacis consilio*, quam de ejusdem post Christi $\psi\omega\sigma\iota\nu$ exsequutione intelligunt, & vim vocabulorum retinendo, sic exponunt: & consilium pacis *erit*, id est, *videbitur*, *declarabitur*, *publice conspicietur* inter ambo istos. Qui hanc interpretandi

tandi viam ingrediuntur, proxime, fateor, a vero absunt: nec est quod dubitationem adferat mihi, nisi quod postrema dictionis vocabula *inter ambos istos* cum expositione verbi תהיה erit minus eleganter cohærere video. Nam dicat quispiam: quid hoc sibi vult? consilium pacis *videbitur & manifestabitur inter ambo istos*. Nonne exsequutio consilii istius fit *inter homines*? nonne illa videnda ab hominibus, manifestanda inter eos? atqui vatem docere, consilium illud repræsentandum atque manifestandum inter Patrem & Filium?

Nostri sententia breviter exponitur.

X. Ut ergo perveniam quo maxime volo, meo quidem iudicio, omnia in expedito erunt, si vocabuli כן significatio recte attendatur. Quippe quod non semper *inter* denotat, sed sæpe numero *loco* exprimendo inservit, uti *Esaj. XLIV: 4. Cant. II: 2, 3. eique inter duos terminos medio, Deut. I: 1. Jos. XVIII: 11. Deut. V: 5.* Hoc si observes, simul autem cogites, per *consilium pacis* intelligi *librum*, in quem consilia illa Dei ad pacem spectantia fuere veluti congesta, sive, ut cum *Tranquillo Vespas. 8.* loquar, *instrumentum imperii*, quo omnia divini *senatus consulta* ac *scita* de pace, Christo rerum potente ubique gentium promulganda, variisque privilegiis selecto populo per omnes ætates concedendis, *continerentur*; dictio vatis haud ineleganter ita poterit transferri: & *instrumentum consilii pacis erit in medio amborum istorum positum sive conlocatum.* Hanc interpretationem (ad quam me non diffiteor invitatum fuisse, lectis quæ eximium illud Theologorum decus, *Salomon van Til, Introduct.*
ad

ad Script. prophet. Part. III. Cap. V. §. 14. egregie disferit) nunc paucis confirmatum atque illustratum imus.

Et uberius illustratur, α. Ex sermonis contextu.

XI. Et primum quidem omnium se commendat *ex ipso verborum contextu*. Messias, ubi *ex sub se germinavit*, corpus sibi formando humanum, splendidissimum *Jehovæ templum* referens, & in eo functus est omnia illa munera, quorum explendorum gratia corporis templum *excitaverat*: dignus habitus est, qui ad maximos honores Patris voluntate produceretur, hocque magnifico apparatu ora mortalium animosque adverteret. Quare regnum non precarium neque fiduciarium, sed ex pactione sibi debitum, ingressus, non tantum regium ornatum nomenque, pontificali dignitati adnexum, sumpsit; sed etiam *in regali Patris solio resedit, dextram ejus contingere jussus, Ps. CX: I.* quid ergo apertius, quam *duos hos, Patrem Filiumque, ante oculos nobis proponi ut in uno eodemque residentis solio; quo supremum dominatum pari auctoritate tenerent, & mira consensione in perpetuum agitent?* Uti vero reges ac principes, qui æqui boni famam petunt, sapientiæque laude florere cupiunt, leges nonnullas ac instituta a majoribus tradita sancte observant, ut iis ad rem publicam feliciter & prudenter administrandam utantur ceu cynosura. Certe qui in Judaico populo regiam obtinebat dignitatem, ex Dei mandato *legem suapte manu in volumen transferre* debebat, quod domi forisque individuus ei comes esset; unde sciret, legem hanc non negligendam sibi, aut pro arbitrato frangendam

dam solvendamque, sed magnopere servandam esse in omnibus quæ sive publicæ, sive privatæ rei causa erat gesturus, *Deut. XVII: 18-20.* hinc etiam regi, regni gubernaculis admovendo, non modo regium insigne imponebatur, sed *exemplum* quoque *legis in manus tradebatur*, quam lectitaret ac custodiret, ut viæ ducem rectoremque unicum, in quem ceu ἀγῆλον oculos continenter intenderet, *II. Reg. XI: 12.* Haud absimili ratione Pater & Filius, eodem locali folio, quasi in illustri imagine conspiciuntur a nobis, ut coram habentes *librum præclarissime scriptum*, qui *consilium pacis* ante principium temporis initum plenissime *complectitur*, seu omnem regni gubernandi modum disertim finit. Qui *liber medio inter binos hos loco positus*, utriusque defigit oculos, ut adsiduo inspiciant, & quotiens opus, regendi rationem olim placitam inde expromant. Scilicet, *Filius postulando* a Patre, quem dextra adsidet, ut sibi liceat exsequi, quæ tamquam sibi gloriosa, iis qui parent, fructuosa, olim deliberata fuere, atque in librum accuratissime conlata: *Pater* autem, *facilem ei adsensum dando*, propterea quod, libro inspecto, non depostulare eum quidquam intelligit, nisi seque animoque cœlesti dignum, & dudum cum eo conventum.

β. Ex conventia cum S. Codice.

XII. Neque vero ratione caret, quod *consilium pacis* explicamus per *librum consilii pacis*. Scriptoribus enim sacris non infrequens est, *consilia* ac decreta *Dei* de rebus futuris, in primis ad hominem pertinentibus, *libri nomine nuncupare*; ut constantiam eorum & ἀμείλιχόν nos doceant. Solent

lent namque homines, oblivioni obluctantes, res memoria dignas litteris mandare, & quæ decrevere, chartis committere, tamquam fidissimis custodibus. Ad Deum id transfertur; ut apud animum nobis proponamus, consilia meditata animo ejus insedisse penitus, eorumque memoriam tam firmiter retineri, quam si in unum congesta volumen oculis jugiter observarentur: ac proin eum, ubi statutum quid de re habeat, insistere destinatis, & per omnes partes ita effecta dare quemadmodum conceperit. Prima *libri divini* mentio fit *Exod XXXII: 32.* ubi commode videtur intelligi posse voluntas Dei, qua disposuit de hereditate terræ Canaan, ab Abramidis adeunda, exheredatis obsequii ignaris. Ceteri Scriptores Mosem imitati, *librum Deo* tribuunt, quum intelligi volunt *decreta ejus de hominibus*, *Pf. CXXXIX: 16.* præsertim de eorum vel æterna salute, vel æterna pernicie; ubi priora *liber vitæ*, *Pf. LXIX: 29.* *Phil. IV: 3.* *Apoc. XXII: 19.* *liber vitæ agni*, *Apoc. XIII: 8.* *XXI: 27.* & excellenter *liber*, *Dan. XII: 1.* illi autem, quibus salus a Deo destinata, *sancti, scripti ad vitam*, *Esaj. IV: 3.* eorumque *nomina scripta in cælis*, *Luc. X: 20.* sicut e contrario *impium, olim ad judicium scripti*, *Jud. comm. 4.* dicuntur. Diligenter vero velim notari, quod magis huc quadrat, hæc & alia *diei scripta coram Jehova, coram facie ejus*, *Esaj. LXV: 6.* in libro *memoriæ* seu memoriali, *Mal. III: 16.* ut crederes, librum perpetuo ante oculos Dei esse: quem si inspexerit, destinata in tempore exsequi. Quibus omnibus collectis recteque perpensis, geminissima esse duco quæ oraculo nostro vidimus reclusa. Sed *neglectam* nostram forsitan

aliquis ea potissimum caussa in dubium devocet, quod vates nullam *libri* mentionem facit: quum ea quæ modo adlegavimus, nomen hoc διαφφίδου præferant. Verum exiguam hæc res dubitationem habet. Quid enim cum sacris, tum exoticis scriptoribus familiarius, quam rem aliud quid continentem appellare nomine rei contentæ, librum sive volumen nomine materiæ, quam liber iste complectitur? Exempla passim sunt obvia; vide sis *Exod.* XL: 20. *II. Reg.* XI: 12. *II. Chron.* XXXI: 3 *Nehem.* VIII: 2 plura, quod in promptu sint, transeo.

γ. Præcipue
ex Apoc. V.
toto.

XIII. Maximum rei pondus addit, quod videmus, *Joannem*, illustrissimum Novi Fœderis Vatem, rem eandem *Apoc. V. tot.* claris depingere verbis, ut nullam relinquat dubitationem, nisi in eorum animis qui soli aperta non vident. Tu vide, & veris rem pretiis æstima. Oculis Joannis offertur *quidam sedens in solio*: quem nemo dubitat Deum Patrem esse, summum mundi & Ecclesiæ rectorem; eo maxime, quod in sequenti visi repræsentatione distinguitur ab *agno*. Hic exhibetur ei ut *dextra tenens librum, septem sigillis ob-signatum*. Quo divina contineri decreta, tamquam in sapientissima & incomprehensibili Dei memoria conservata, de Ecclesia per omnes temporum decursus inter multimodas rerum vicissitudines gubernanda; tanto adfirmem lubentius, quod subactissimi & in recludendis Vatum oraculis exercitissimi ingenii Viris pridem ita visum est. In *proximo solii ambitu stat agnus, frequenti cœlestium satellitum globo stipatus*: in quo recte videmus
Chri-

Christum, hoc nomine cum passim in codice Sa-
cro, tum præsertim in Joannis libris notissimum:
Christum scilicet ad summam evectum gloriam,
regniq̄ue a Patre sibi destinati consortem. Quam-
quam enim hoc viso imago ejus exhibeatur non
occupantis augustum illud Patris solium, (id
quod alibi clarius ostensum *cap. III: 21.*) sed *stan-*
tis: observandum tamen est, & *stare* eum *solio pro-*
ximum, & omnes illi honores tribui, quos cecine-
rat Vates noster. *Pontificales*: quia Joanni visus
est ut *agnus*, *instar victimæ mactatus*: piaculari fa-
crificio delecti ex hominibus *redempti Deo* sacrati-
que fuere: & quia visus est ut *stans*, perinde ac
in perpetuum sacrum faceret. *Regios*: quia *regiæ*
de ipso prædicantur *virtutes*, *potentia* & *prudencia*,
duo validissima regnorum fulcra. *Potentia*: nam
septem habet cornua, quibus in terram arietat,
quos sibi adversos animi cognovit, factisque com-
pertum habet. *Prudentia*: nam *septem habet oculos*,
quibus providet, uti ne quid damni parentes fa-
ciant, sed privilegiis concessis otiose fruantur.
Unde sub finem capitis majestas ipsius & excel-
lencia *ab Angelis & omnibus rebus conditis* divinis
celebratur laudibus, & quam potest demississime
atque subjectissime exponitur, coliturque, junctis
in ode Patris & Filii nominibus. Hic autem *agnus*,
propter Patrem adstans, *librum*, cui nemo erat
aperiendo, *ex dextra ipsius accipit*, acceptumque
resignat; quod est signum, Christum decreta Dei
cum interpretari & publice declarare, tum ipso
actu per exsequutionem sistere & repræsentare.
Quæ si quis animo pensitet, sic statuet, ab Joan-
ne explicatius tradi, quæ Zacharias concisus &
paullo obscurius proposuerat.

Summa di-
ctorum con-
ficitur.

XIV. Oraculi itaque sensus, ut in pauca rem conferam, hic est: *Patrem cum Filio*, postquam gravissimis afflictionibus esset defunctus, *omnem regnandi* judicandique *dignitatem communicare*, ac proinde *ambos in uno eodemque regali considerare solio*, partum regnum auctoritate pari administraturos; *medio* inter utrumque *loco positum esse consiliorum æternorum librum*, quo Filium inspecto, ex consensione Patris civitatem sanctam ita temperare, ut læta *pacem* agitet, plenaque spei bonæ expectet, quum in maximis fluitat tempestatibus.

Implementum
vaticinii addi-
tur.

XV. Nunc reliquum esse videtur, ut brevi (nam fusius hæc persequi nunc non est instituti nostri) probemus, fidem exstitisse oraculo, *Jesus*, decurso obedientiæ & *παθημάτων* stadio, *in cælum sublatus est*, *Luc. XXIV: 51.* ut & *Sacerdotis*, & *Regis* munia explendo, *pacem* acerrime expectatam promulgaret. Id quod factum per *augustissimos illos persuasionis nostræ XII viros*, qui caduceatorum instar *pacem* obtulere cunctis ab regno Christi adhuc alienis, præferentes *Evangelium pacis*, *Rom. X: 15.* eo successu, ut & *montes*, & *colles pacem acciperent ferrentque*, *Pf. LXXII: 3.* hostes autem infensi acerbissimas cœlesti Regi pœnas persolverent. *Judæi* namque, *Romanorum* armis prope ad internecionem redacti, in exemplum iverunt. Et *Imperatores Romani*, qui summa ope nitebantur, ut gentem nomenque Christianorum ab stirpe everterent, *Constantino* ad causam piorum adjuncto, ita fuerunt attriti concisique, ut cum omnibus suis auxiliis victoriam opes-

opesque concederent. Exin Christicolis, pace incuriosis, & in lasciviam prolapsis, *novus* quidem supervenit *hostis*, eo ad nocendum validior, quod internus, fraudibus involutus, specie bonarum artium falsus, & amicitiae fallax. Sed qui peculiū suū curæ cordique habet, cum suorum animis in medio certaminis ardore multum semper addidit, ut calamitates fortiter perferrent, & oppugnantorum potentiam plus simplici vice percuterent; tum conjuratas tot barbarorum seculorum procellas, & plus quam decumanos ignorantiae fluctus ita sedavit dispulitque, ut regna, nationes, civitates bene multæ, ejurata superstitione, veritati se darent. Post hæc tempora ad nostram memoriam varia Ecclesiæ fortuna; immo, ut vere dicam, magis magisque improspera & inclinata. Bonum tamen ea de re animum omnes habere volo: quandoquidem cura ejus jam pridem apud Jesum excubat. Memori ille mente tenet, quæ ad firmam immotamque pacem spectantia, tempore decrevit exsequi. Sane incidat Ecclesia in maximas ærumnas, & tantis acerbitatibus dilaceretur, ut hostes victoriam conclament, tamquam *transactum de ea* esset, *Deut. XXXII: 36.* eo miseriarum veniat, ut speciem reddat *agri omnino vacuefacti, & ab incolis pecoribusque destituti, ac frugum egentis, Hab. III: 17.* suis tamen opibus revalescet, & sub Christi tegmine *confidens*, quod reliquum temporis, *in otio deget, rebus florentissimis, Hos. XIV: 5-7.* de quo nos non dubitare sinunt tot illustria vaticinia, *pacem* ultimorum temporum canentia. Interea loci partium nostrarum est, *audire quæ Jehova loquitur*, & oraculorum ejus sensum sedulo scrutari:

tum cognito, nihil eum nisi *pacem disserere*, *san-
ctæ genti destinata*, *Pf. LXXXV: 9.* lætissimi
eventus exspectatione, ex divinatorum consiliorum
contemplatione, magnam & perpetuam capiemus
voluptatem.

FINIS.



DIA-